CONCLVSIONES
EX VNIVERSA
PHILOSOPHIA
IUXTA MENTEM
DIVI THOMÆ
PUBLICE DEFENDENDÆ IN ECCLESIA
CLER. REG. SCHOLARUM PIARUM
Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Dom.
D. LEONI
STROZZA
ARCHIEPISCOPO FLORENTINO
DICATÆ
A JOANNE BAPTISTA FRASSINELLI.

FLORENTIÆ, MDCC.

Apud Petrum Matini Archiepiſcopalem Typographum.
SUPERIORUM PERMISSU.

ILL.ME AC REV.ME PRÆSUL.

MAgna Philoſophiæ noſtræ Felicitas, ILLUSTRISS., ET REVERENDISSIME DOMINE, cùm primùm Diœceſim tuam novà Archiepiſcopali Dignitate inſignitus ingrederis, Tibi venerabundam occurrere, ſe ipſam pro Gratulatione præſtare, publica Obſervantiæ teſtimonia exhibere, ac viciſſim a Te publica honoris ornamenta Patrocinio, ac Præſentià tuà referre. Siquidem cùm Te frui ſingulare omnium beneficium ſit, potiſſimum Sapientiæ donum habendum eſt, quæ unicè ſe ab illis plurimùm ornari, ac augeri fatetur, qui cuncta bona reſpuunt, quæ Sapientia ipſa non peperit;

& poſtpoſitis gradibus illis, quos Natura ad altiſſimum paravit aſcenſum, eam unam ſemetipſis dignam gloriam arbitrantur, quæ vera, ſolida, ac ſola exiſtimanda eſt, in Virtutis nimirùm, & Sapientiæ bonis collocata. Quod quàm ampliſſimè perfeceris, ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINE, confirmant quotidiè, quæ de Te maxima ad tui memoriam Nominis ſempiternam, nobiliſſimæ Familiæ decus, tuæque Archidiœceſis ſolatium undique prædicantur. Quid in Te unquam non ſingulare, non omne laudationis genus prætergrediens viſum eſt? Nulla Dignitas, etiam præſtantiſſima Religione tua, quam non longè maiorem reddiderit meritorum tuorum amplitudo, nunquam tamen Tibi parem. In hoc unum toto animo, ac ſtudio Te ſemper incubuiſſe teſtantur, qui Tecum agere Tibi proximè conſueverunt, ut Literarum, & Sanctitatis gloria novis ſemper augmentis excreſceret. A Te nec Virtutem ipſam, aut Sapientiam labile exerceri ad præmium, ſed rectè facti feciſſe mercedem eſſe, qui Virtutum omnium, ac Scientiarum pretium in ipſis habere Te oſtendis. Gloriatur Piſtorienſis Eccleſia, in quâ nuperrimè ingens Tui deſiderium reliquiſti, hoc cæteris ſe beatiorem, quod longo annorum curſu Te Paſtorem habuerit, cuius felicitas adeo Te Auctore amplificata fuerit, ut ampliorem vix aſſequi poſſe videatur. Id verò præ cæteris eximijs animi tui dotibus confidentiùs extollunt: Quod Juſtitia, Legumque Sanctitas nedum à Te unquam minimâ licèt ex parte imminuta fuerit; verùm etiam Reorum ipſorum teſtimonio tuis ſe iudiciis protegat. Ille eſt LEONIS amor Juſtitiæ, ut nihil contra Juris integritatem per benevolentiam imperetur. Metus, preces, ſpes utilitatis, quæ nimis aliquando virium habent ad Leges infringendas, ita Te Judice intermittantur, ut omninò taceant; ac ſola tui

Nominis famà perterrita, coram Te ſe ſiſtere vereantur. Vivum Divini Proviſoris exemplum non perſonam, non ætatem accipis ad Cœleſtium Bonorum adeptionem. æqualitate librata Te præbes Judicem ſimul, & Patrem. Hoc ſibi de Te tribuit Juſtitia, ut ſemper vigeat, ubi adſis; ſemper floreat, ubi iudices; ſemper ſecura ſit, ubi videas: Intimè Tibi coniungi, ac vivere aſſueta, ſuam in Te ſupremam tuetur Maieſtatem; eoque maiori ſplendore, quo reliquæ Virtutes tuæ Clementia præcipuè, & Æquitas honorifico eidem famulantur obſequio. Enimverò patieris, ut dicam ingenuè, quod res eſt: rectis moribus, ac iudicijs iam dudum devotus ita rectè iudicas, & vivis; ut non aliter facere poſſe videaris. Quapropter cùm meritorum tuorum præſtantiam longè, latèque detulerit Sapientium Virorum iudicium, ita omnium in Te convertit, rectiſſimi præcipuè Principis amorem, & exiſtimationem, ut omnium etiam mente in confeſſo fuerit Te ad magna à natura genitum, ad maiora virtute perfectum, ad maxima Divinà Providentià fuiſſe deſtinatum. Jam ad plures evectus es gradus. Tandem omnium votis obtentum, ut qui uni Diœceſi præſentià tuà, pluribus exemplo proderas, Archidiœceſim unam præſentià, omnes exemplo iuvares. Cum igitur Supremam loci Authoritatem; quam iamdiù merebaris, diù expectatus attigeris, tantum, ac adeò æquale in omnibus gaudium adventu tuo concitaſti; quanto amore erga omnes, & quàm æqualis omnibus adveniſti. Planè feliciſſima Civitas iudicanda eſt, cui cumulatè contigiſſe lætamur, ut per Te nedum nomine, ſed re ipſà floreret, quæ in Te incredibiles lætitiæ fructus, uberrimam bonorum omnium copiam ſe fatetur accepiſſe. Nemo eſt Subditorum, qui Te Patrem non diligat, Antiſtitem digniſſimum non veneretur, ſuæ felicitatis Servatorem non

palam

palam modò, ſed in penitiſſimis etiam cogitationum ſecretis non profiteatur. Cætera proſequi, quæ de Te omninò dicenda eſſent, quæque nobis certò ſperanda ſunt, nec noſtri ingenij eſt, nec loci, nec animi timidè, vel hæc pauca dicentis, ne Tibi invisus ſit, & ingratus, qui ſummò temperamento omnia moderaris, quique à laudibus abhorres, meritis laudum contentus. Reverentius itaque erit ea tacitâ admiratione recenſere, quam verbis imminuere rerum tuarum magnitudini ſemper imparibus. Gratias interim Tibi agit, ILLUSTRISS., AC REVERENDISS. DOMINE, maximasque habet Philoſophia noſtra, quòd in communi tantæ Civitatis gratulatione noſtras etiam tenues lætitiæ voces benigniſſimè audias; atque addictiſſimi animi obſequia probes, ac admittas; quæ non penitus humilia fore arbitramur, ſi eâ, qua præſens accipis, humanitate patrocineris. Vale.

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Dominat. Tuæ.

Humill. atque Obſequentiſſ. Famulus
Joannes Baptiſta Fraſſinelli.

CON-

CONCLVSIONES PHILOSOPHICÆ.

EX LOGICA.

I. LOgica, Scientia ſimpliciter ſpeculativa, ad alias in ſtatu perfecto ita neceſſaria, ut ad earum demonſtrationes directivè, non effectivè, ad ſuas utroque modo concurrat, in docentem, & utentem, tamquam in duo munera diviſa, obiectum habet formale ens rationis directivum, &c.

II. Natura à parte rei ſingularis, fit univerſalis methaphyſicè per abſtractionem, Logicè per comparationem ſimplicem; Eſt univerſale in communi genus ad quinque inferiora: Tàm genus, quàm differentia prædicantur ut totum potentiale; Species eſt formaliter univerſalis per reſpectum non ſubiicibilitatis, ſed prædicabilitatis, & ſalvatur in Unico individuo, non verò Genus in unica ſpecie, cui ſi repugnent plura individua probabilius non repugnat univerſalitas Logica. Univerſalium eſſentiæ non ſunt perpetuæ poſitivè, etiam quantum ad entitatem diminutam, ſed negativè; Quare propoſitiones univerſales neceſſariæ ſunt æternæ Veritatis. Genus, & ſpecies in ſubſtantiis prædicantur in concreto, in accidentibus autem in abſtracto; Undè prædicationes concreti de concreto in accidentibus, abſtracti de abſtracto in ſubſtantiis ſunt quidem veræ, non tamen generis, aut ſpeciei de inferioribus.

III. Anteprædicamenta quinque iuxtà doctrinam Thomiſticam, prædicamenta decem. Subſtantiæ conſtitutivum non ſubſtare accidentibus, aut negatio eſſendi in alio, ſed ſubſiſtere per ſe. Eius prædicamentum completas omnes, uno excepto Deo, comprehendit. Quantitas accidens extenſivum ſubſtantiæ in partes integrantes in ordine ad ſe, duplex: Permanens, alia continua, linea, ſuperficies, corpus, alia diſcreta, numerus quantitativus, vera quantitatis ſpecies: Et ſucceſſiva, tempus, motus, oratio, ſpecies impropriæ. Locus in ratione quantitatis à ſuperficie non diſtinguitur.

IV. Qualitas accidens ex Phil. ſecundum quod dicimus quales, ex Ang. diſpoſitivum ſubſtantiæ in ſe ipſa, quadruplex. 1. Habitus, & diſpoſitio, ut communiter definita, utraque in entitativum, & operativum ſpecie realis

diſtin-

diſtincta. 2. Potentia, & Impotentia perfectè, vel imperfectè ad agendum, aut reſiſtendum diſponens, duplicem non ſpeciem, ſed ſtatum conſtituentes. 3. Paſſio, & paſſibilis qualitas alterationem ſenſibilem cauſans, vel ab illa cauſata. 4. Forma, & figura ex diſpoſitione partium reſultans.

V. Relatio, cuius totum eſſe eſt ad aliud ſe habere realiter à fundamento diſtincta, mutua, & non mutua, illa in convenientia, & diſconvenientia, actione, & paſſione; hæc in menſura, & menſurabili fundata. Utraque ad relativum terminata, mutua intrinſecè, & ſubiectivè, non mutua extrinſecè, & terminativè. Eius unitas ſpecifica à fundamento ſimul, & termino, diverſitas ex alterutrius diverſitate, numerica ex unitate ſubiecti.

VI. Actio tàm permanens, quàm tranſiens eſt prædicamentalis. Ex ubi quadruplici circumſcriptivum tantum prædicamentale, cuius ſpecies ſurſum, deorſum, &c. ex reſpectu non ad corpora particularia, ſed ad centrum, polos, & circumferentiam Mundi. Quando, accidens in rebus, ex eo quod ſint in tempore, ut ab eo menſuratæ, Angelicum à ſuo prædicamento excludit. Inter poſt prædicamenta tria præſertim defendimus, oppoſitionem contradictoriam cæterarum cauſam eſſe; Prioritatem generationis prioritati perfectionis oppoſitam; Motum propriè dictum quadruplicem eſſe, Alterationem, Augmentationem, Diminutionem, & Localem; duplicem impropriè Generationem, & Corruptionem.

VII. Propoſitio, qualitas ſimplex unionem prædicati cum ſubiecto repræſentans. Contradictoriarum de futuro contingenti abſoluto ante decretum Dei neutra determinatè vera, vel falſa; Nec de conditionato, niſi quatenus involvunt, aut ſupponunt Decretum.

VIII. Argumentationis ſpecies quatuor: Syllogiſmus, & Inductio perfectæ; Enthymema, & exemplum imperfectæ. Syllogiſmus ratione materiæ triplex: Demonſtrativus, Topicus, Sophyſticus; Totiplex ratione figuræ: Ex parte Modi Novemdecuplex Utilis. Demonſtratio, Syllogiſmus ex neceſſariis, & evidentibus, Propter quid, & Quia, à Priori, & à Poſteriori. Proprietates duæ Scientiam effectivè producere, & ex aſſenſu præmiſſarum intellectum neceſſitare ad aſſenſum concluſionis, etiam quoad exercitium.

EX PHYSICA.

I. PHyſica, una in ſpecie athoma, ſimpliciter ſpeculativa, licet obiectum habeat indiſcriminatim tàm Corpus, quàm Ens, aut Subſtantiam mobilem, vel naturalem, illud tamen per ens mobile congruentius explicat. Entis autem mobilis Principia non Atomi cum ſuis affectionibus; Non Particulæ Carteſii, ſed ea ſcilicet, quæ neque ex aliis, neque ex alterutris, ſed ex ipſis omnia: Tria ſcilicet in fieri Materia, Forma, & Privatio: Duo in facto eſſe, Materia, & Forma.

II. Materia eſt ita pura potentia, ut nullum includat actum entitativum, nullam habeat ex ſe exiſtentiam; Nec ſine forma poſſit etiam divinitus exiſtere. Quamquam materia per ſe ſit ingenerabilis, & incorruptibilis, eſt tamen prima radix corruptionis: Innato appetitú omnes recepit formas,

quas non habet appetitu tendentiæ, quas habet, complacentiæ, quas habuit capacitatis. Probabilius tamen eſt, cæleſtem non eſſe eiuſdem rationis, ac ſublunarem.

III. Plures formas eamdem informare materiam, aut plures materias ab una forma actuari, contradictionem involvit. Compoſitum ſubſtantiale materia, & forma, tamquam partibus eſſentialibus ita coaleſcit, ut in actu unionis iſtæ immediatè per proprias entitates conſocientur; illud à partibus unitis tertia velut entitas non diſtinguatur.

IV. Nulla in creatis ſubſtantia eſt immediatè operativa; Ideo neceſſaria ſibi petit ad agendum inſtrumenta. Inſtrumentum autem duplicem exigit influxum, & Principalis, ut ad eius effectum elevetur, & Proprium, ut ex ſe ipſo ſuum attingat. Æquè repugnat plures cauſas totales eiuſdem ordinis eundem numero effectum producere, ac productum ab una, quæcumque illa ſit, potuiſſe ab alia produci.

V. Finis realis, ac veriſſima cauſa, ſolo ſui amore cauſalitatem exercet: proindeque ſola bonitas eſt ratio formalis movendi ad finem in actu primo: Eius autem apprehenſio conditio tantum, & applicatio. Motus in mobili, non in medio ſubiectatus, quemadmodum unitatem, & diſtinctionem, ſive genericam; ſive ſpecificam à termino ad quem, & numericam ex unitate ſubiecti, termini, & temporis ſortitur, ita contrarietatem ex terminorum oppoſitione deſumit.

VI. Infinitum Cathegorematicum ſoli Deo competit. Syncathegorematicum Creaturæ nullo in prædicamento repugnat. Tempus in ſucceſſione futuri ad præteritum formaliter conſiſtens, præſentiam non in parte, ſed in inſtanti habet. Ab inſtantibus autem ipſum copulantibus noti rerum inceptionis, deſitioniſque termini dependent. In eodem loco etſi duo corpora ſupernaturaliter locari liceat, pluribus tamen locis unum circumſcribi corpus repugnat. Sicut & privativum magnum dari vacuum, naturaliter. Minima verò vacare ſpatiola ad ſalvandos naturæ motus, omnino probabile. Non ex ſolis indiviſibilibus conſtat continuum; Sed & Partibus Aliquotis ſimpliciter finitis; & Proportionalibus actu quidem finitis, potentia verò infinitis.

VII. Mundus in tempore non ex præiacenti materia, ſed ex nihilo productus potuit ab æterno quantum ad permanentia produci; Motus vero, & alia ſucceſſiva ab æterno probabilius eſſe non potuerunt.

VIII. In generatione ſubſtantiali ea eſt corruptio accidentium, ut fiat omnimoda reſolutio uſque ad materiam primam. Intenſio fit non per depurationem à contrario, aut per additionem partialis qualitatis ad partialem, ſed per adventum novi modi perfectionis, quatenus eadem numero qualitas primo in alterato producta per ſuccedentes ſubindè modos perfectionis à ſtatu imperfecto tranſit ad perfectum. Generationem autem, & rerum genitarum circulus ita ſe habet, ut ſucceſſiva ſemel corrupta, nec divinitùs poſſint eadem numero reproduci: Permanentia verò entitativè, & quaſi materialiter ſumpta ſupernaturaliter tantum redire valeant: quod ſi formaliter ſumantur, cum omnibus videlicet formalitatibus cauſarum, actionis, modi, &c. ſub quibus olim producta fuerunt, repugnat etiam de potentia abſoluta reproduci.

IX. Ani-

IX. Anima, actus primus corporis phyſici organici potentia vitam habentis in ſingulis Viventibus una, non admittit ſecum in materia formam ullam corporeitatis à ſe realiter diſtinctam, vel formas, quas appellant partiales. In Brutis perfectis ex parte tum ſui, cum ſubiecti formaliter indiviſibilis; In Imperfectis, & Plantis ratione ſubiecti diviſibilis. Eius potentiæ (ſicut & aliæ quælibet) ab actibus, & obiectis ſpecificatæ, in quinque genera Vegetativum, Senſitivum, Intellectivum, Appetitivum & Loco motivum unicè dividuntur.

X. Nutritio, motus continuus, materiæ tamen alterationem ſupponens toto vitæ tempore perdurat, & ſolis Viventibus propriè competit: Eius vero terminus ſubſtantia materialis antecedenter ad quantitatem non habet partes integrales actu, ſed radicaliter tantum, ab ipſa vero quantitate actualem in illas diſtributionem recipit.

XI. Intellectus non diſtinguitur entitativè à memoria (ſicut nec Intellectus practicus, & ſpeculativus, ratio ſuperior, & inferior) ſed ſolum quantum ad munera retinendi ſpecies, attingendique obiectum, ut prius cognitum, cum Agente vero Intellectu concurrit Phantaſma ad productionem ſpeciei intelligibilis in genere cauſæ inſtrumentalis.

XII. Intellectio eſt actio prædicamentalis à verbo nedùm formaliter, ſed etiam realiter, à dictione verò modaliter tantum diſtincta, in quantum exprimit fœcunditatem, & cauſalitatem verbi, quod quidem omnis intellectio creata (excepta Viſione Beata) producit, & in Viatore naturaliter ab operatione phantaſiæ dependet.

XIII. Voluntas, potentia ſimpliciter libera, bonum tamen, ſeu beatitudinem in communi neceſſario amat neceſſitate ſpecificationis, non exercitii. Eſt ſimpliciter imperfectior intellectu, licet ſecundum quid illa perfectior, cum in ea videlicet fertur, quæ perfectiori modo ſunt in ſe ipſis, quam in intellectu.

EX METAPHYSICA.

I. Metaphyſica, ſpeculativa entis realis, ut ſic ſecundum rationes dumtaxat à materia abſtractas Deo, & Creaturis communes. Ens eſt analogum reſpectu Dei, & Creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis, tàm analogia proportionabilitatis, quàm attributionis, quamobrem eius conceptus formalis ab illis perfectè non præſcindit.

II. Unitas ſignificat eſſentialiter entitatem, ut connotat negationem diviſionis. Undè in recto quid poſitivum importat. Deſumitur autem unitas, ſicut & multiplicatio purè numerica in ſubſtantiis, non ab hæcceitate, nec à forma, ſed à materia connotante quantitatem. In accidentibus verò oritur à ſubiecto formaliter ſumpto, undè infertur duo accidentia ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto implicare. Unitati oppoſita diſtinctio alia rationis, triplex conſueta, alia realis Maior, Minor, & Virtualis, quæ cum diſtinctionem formalem actualem ex natura rei ſufficientiſſimè ſuppleat, illam etiam excludit à gradibus metaphyſicis.

III. Exiſtentia entis creati realiter diſtinguitur ab eſſentia, quemadmodum

dum, & ab utráque ſubſiſtentia, quæ non in pura negatione communicabilitatis, aut dependentiæ, ſed in actualitate poſitiva naturam in ſe ipſa terminante conſiſtit, ac proindè repugnant abſolutè in eadem natura plures ſubſiſtentiæ ſive totales, ſive partiales, ſicut & una creata, alia increata.

IV. Deus, ens a ſeipſo, a quo cætera dependent, cuius exiſtentia, non ſecus ac puriſſima Actualitas, Unitas, Infinitas, Immutabilitas, Æternitas, Summa Bonitas, & Veritas, Omnipotentia, Sapientia, Immenſitas, Ubique, Præſentia, Intellectualitas, & Libertas, naturaliter demonſtrari poſſunt, ita ſolus & Creatoris attributum ſibi vendicat, ut nulla ſit poſſibilis Creatura, cui, vel principaliter, vel inſtrumentaliter, phyſicè creare competat, & univerſaliſſimum Motoris influxum obtinet, ut nedum concurſu ſimultaneo ſingulas Creaturarum actiones comitetur, Verum etiam ad illas Motione prævia, ſalva in liberis, immò tunc magis perfecta libertate, cauſas omnes prædeterminet.

V. Quælibet ſcientia eſt una ſimplex qualitas, ſive unus indiviſibilis habitus perficiens intellectum circa omnes ſuas concluſiones. Subalternata in abſentia ſubalternantis, eſt verè, ac propriè ſcientia, licèt non in ſtatu perfecto, donec ſubalternanti coniungatur. Actus Scientiæ, opinionis, ac Fidei Divinæ, ſicut & ipſi habitus in eodem reſpectu eiuſdem ſunt incompoſſibiles etiam per diverſa media. Actus tamen opinionis, habitum ſcientiæ compatitur, ſi non poſſit hic in actum exire, quemadmodum habitus Fidei, Actum ſcientiæ, modo iſte non producat habitum.

VI. Ens rationis, quod habet eſſe obiectivè tantum in intellectu, non conſiſtit formaliter in denominatione extrinſeca, etiam rei cognitæ aliter, ac eſt in ſe, ſed in eſſe ficto, quod intellectus apprehendit, in ipſa re cognita, dum eam cognoſcit taliter, ac eſt in ſe, quodque intelligitur rem illam, quaſi intrinſecè denominare. Fieri autem nec à ſenſibus internis, aut externis, nec a voluntate, nec ab ibtellectu Divino poteſt, ſed ab humano.

EX ETHICA.

I. Ethica, Scientia tota practica, a Prudentia realiter diſtincta, pro obiecto materiali reſpicit affectus, ſeù actus humanos, ſecundum entitatem ſumptos, pro formali verò moralitatem, cuius huiuſmodi affectus, ſeu actus ſunt capaces.

II. Neceſſe eſt dari aliquem totius humanæ vitæ finem ultimum. Hic eſt, quem propter ſe tantum volumus, cætera verò propter ipſum: plures verò adæquatos fines ſimul habere omninò repugnat. Vera fœlicitas obiectiva hominis in nullo creato bono, nec in ipſa virtute, ſed in ſolo increato continetur, non tamen perfecta in hac vita acquiri poteſt, alteri reſervata. Fœlicitas autem formalis eſſentialiter conſiderata non in pluribus actibus, non in actu voluntatis, ſed in actu intellectus conſiſtit.

III. Voluntarium, cuius principium eſt ab intrinſeco cum cognitione finis per violentiam abſolutam tollitur, diminuitur per metum, per concupiſcentiam augetur. Liberum libertate Arbitrij indifferentiam obiectivam, & conſequenter formalem, & ſubiectivam tamquam de ſui ratione exigit; non eſt

autem

autem neceſſe, ut hæc indifferentia ſit contrarietatis, ſeu quoad ſpecificationem; ſed ſufficit, ſi ſit contradictionis, & quoad exercitium. Inter actus perfectè voluntarios, eſt imperium, quem eſſe actum intellectus, voluntatis applicationem præſupponentis, aſſerimus.

IV. Paſſio, motus virtutis appetitivæ ſenſibilis ex imaginatione boni, vel mali, cum tranſmutatione corporali; dum rationi, & voluntati per modum antecedentis cooperatur diminuit bonitatem actus, auget vero cum per modum ſubſequentis concurrit.

V. Moralitas eſt ordo, quo actus voluntatis reſpicit obiectum, ut regulis morum ſubiectum. Licet dentur plures actus ſecundum ſpeciem ſuam indifferentes ad bonitatem, vel malitiam moralem; nullus tamen in individuo reperitur talis. Regulæ morum duæ: Prima, & remota lex æterna; proxima, & immediata, ratio dictans Voluntati quid bonum ſit, quidve malum. Virtutes morales in hoc etiam a vitiis differre agnoſcimus, quod illæ in ſtatu perfecto conſideratæ ſunt inter ſe neceſſariò connexæ, non vero iſta.

VI. Virtus moralis, bona qualitas Mentis, qua rectè vivitur, & nullus malè utitur. Prudentia, Virtus rectificans Intellectum ad benè ſe habendum circa agibilia, reſpicit tamquam proprium, & præcipuum ſuum actum, imperare. Huic octo Virtutes veluti eius partes integrales deſervire ſuſtinemus cum D. Thoma. Rationem, Intellectum, Circumſpectionem, Providentiam, Docilitatem, Cautionem, Memoriam, & Solertiam, ſeù Euſtochiam. At partes Subiectivas, Monaſticam, & Corporis Politici moderatricem; quæ optimè dividitur in Æconomicam, Politicam, & Militarem.

VII. Juſtitia habitus, ſecundum quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate Jus ſuum unicuique tribuit; dividitur in Commutativam, Diſtributivam, & Legalem. Temperantia, Mediocritas in voluptatibus corporalibus ſpecies habet, Abſtinentiam, Sobrietatem, Caſtitatem, & Pudicitiam. Fortitudo; Mediocritas inter timorem, & præſidentiam; Species Virtutis atoma cenſetur.

LAUS DEO.

99 952687